

meum. Sane cum exul Absalonem fugeret, incertus an regiae suae dignitati restituendus esset, in omnem se fortunam Deo resignavit, inquiens: *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me et ostendet mihi eam (arcam foederis) et tabernaculum suum: sin autem dixerit mihi: Non places, praesto sum; faciat, quod bonum est coram se, II. Reg. XV. Quid est: Non places, si dixerit Deus: Nolo te regem esse, praesto sum, faciat quod bonum est: si dixerit: Volo te rursus exulem esse et loco tuo filium dominari, qui patris jugulum petat: Praesto sum, faciat quod bonum est: si dixerit: Volo te rursus subire speluncas, et mendicatio vivere; praesto sum, faciat quod bonum est: si dixerit: Volo te calumniis et lapidibus appeti etiam a tuis subditis: praesto sum: si dixerit: Volo te rursus multare in filio, immatura et infami morte plectendo: praesto sum, etc. Nimirum placere Deo plus faciebat, quam libertatem, liberos, honorem, opus, regnum, vitam. Celebratur in Ecclesia, 26. octob. S. Quod-vult-Deus, episcopus Carthaginiensis, quia una cum clero a Genserico rege Ariano in navibus fractis absque remigiis et velis impositus, praeter spem Neapolim appulit, ibique in exilio positus confessor occubuit. Hoc ego Christianis omnibus cuperem esse nomen et studium unicum. Quod-vult-Deus, cum paupertas premit, cum morbus exercet, cum ignominia urit, cum mors vocat, dicat unusquisque: Quod-vult-Deus. Hoc nomine in medio mari licet fractis navibus, licet absque velis et remis, hoc est, licet fracto et infirmo corpore, licet destituti necessariis vitae subsidiis, securi et salvi erimus, tandemque procul dubio in Neapolim, id est, novam civitatem illam caelestem appellemus, ibique non ut exules, sed ut cives in patria aeternum vivemus.*

CONCIO V.

SENES INSTRUUNTUR EXEMPO SIMEONIS.

I. Spernant mundum. — II. Vitent avaritiam. — III. Consilio aliis et exemplo prae luceant. — IV. Pietati liberius vacent. — V. Praeparent se ad mortem. — VI. Libenter hinc emigrent.

THEMA.

Ecce homo erat in Jerusalem, cui Simeon Luc. II.

Multa videmus lumina hoc die in ecclesia: et pene nullus est qui non lumen aliquod gestet, vel gestare saltem deberet suis manibus. Quod si in hodiernum evangelium conjicere velimus oculos, multa etiam ibi lumina cernemus, toto orbe rutilantia, et merito ab omnibus sedulo contemplan-

da. Maximum ibi lumen, Christus, in primis cernitur: *Qui lumen ad revelationem gentium dicitur a Simeone: lumen, inquam, omnium hominum, cujuscumque status sint, ad instructionem et imitationem propositum.* Deinde Virgo Maria lumen apparet virginum: ad haec S. Joseph sponsus Virginis lumen conjugatorum: rursus S. Simeon lumen senectutis: postremo subjecti S. Lucas eadem hora supervenisse S. Annam viduam, et haec est lumen viduarum: Nemo igitur est qui non habet aliquod lumen in hodierno evangelio statui suo conveniens, quo illustrari queat et accendi ad virtutem: juvenes, senes, viri, mulieres, conjugati, virgines, viduae: Quoniam igitur regula Christi: *Nemo lumen accendit et sub modio ponit, sed supra candelabrum, ut qui ingreditur lumen videant;* idcirco in praesens unum ex illis luminibus seligendum existimavi, Simeonem videlicet senem, et ad exemplum senum supra candelabrum ponendum. Quamquam hoc non senes tantum sed juvenes contemplari debent quia omnes cupiunt ad senectutem pervenire, colligant ergo in aetate juventutis doctrinam salutarem, qui vivere queant in hieme senectutis.

I. Mundum ejusque pompam, opes, gaudia et illecebras contemnant: Docet hoc Simeon, quem nihil in mundo retinebat, nisi desiderium videnti Christum, quo viso statim dissolvi et extingui petiit, dicens: *Nunc dimittis servum tuum Domine, q. d. hoc unum ego quaesivi ac desideravi, ut oculis te viderem: praeter hoc nihil in mundo erat, quod amarem et quaererem. Itaque sicut qui accensa lucerna quaerit rem amissam, eaque inventa lumen extinguit: ita Simeon, postquam invenit, quem quaesivit, statim extingui petiit, quia nihil aliud in mundo petiit. Similem etiam senem reperimus, I. II. Regum, c. XIX. Bercellai Galaditem, qui cum regi Davidi Absalonem fugienti multum benefecisset, et propterea ab ipso in regnum restituto, vocaretur in aulam regiam, respondit regi: « Quot sunt dies annorum vitae meae, ut ascendam cum rege in Jerusalem? Octagenarius sum hodie, numquid vigent sensus mei ad discernendum suave et amarum? Aut delectare potest servum tuum cibus aut potus? Vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricium? etc. Sed obsecro ut revertatur servus tuus, et moriar in civitate mea; etc. » Et quid mirum si spernant senes mundum, a quo se spreto vident? Annon mundus senes ridet, negligit, aversatur, fugit insuper et spoliare desiderat, et mortem eorum optat. Hinc certe Eccles. c. XXV. ait: *Tres species odit anima mea, et aggravat valde animae illorum, pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum.* Ratio est,*

quia isti ut tales sint, causam nullam habent. Pauper occasionem superbiendi non habet, sicut habet dives, neque mentiendi, sicut habet pauper, verbi gratia, artifex, vel alius qui labore manuum suarum vivit. Similiter etiam senex dando se luxui et voracitatibus, quia senes nec idonei sunt nec natura prout ad has prosequendas, insuper a mundo ipso negliguntur, ridentur et spernuntur, praesertim quando ipsi placere cupiunt. Recte igitur tales fatui et insensati vocantur. Quanto rectius itaque imitentur S. Franciscum, qui cum a patre presentaretur episcopo, et cogeretur paternae haereditati cedere, rejectis etiam vestibus omnia concessit patri, dicens, sibi in posterum majorem fore occasionem dicendi: *Pater noster qui es in caelis?* In hunc modum, inquam, agere cum mundo senes deberent, quia enim vident eum insidiari bonis suis, et auferri sibi in dies magis quaecumque mundo amabilia sunt, deberent hoc ipso mundum quoque penitus aspernari, et jubere, ut res suas sibi habeat: ad Deum vero et vitam alteram se convertere, et cum Simeone Christum solum in ulnas suas accipere, cum eo se recreare, in eo consolationem suam quaerere.

II. Maxime vero inter alias mundi illecebras ab avaritia sibi caveant, de qua S. Hieronymus, in serm. quodam ait: *Cum caetera vitia senescant, sola avaritia juvenescit.* Ergo sicut S. Simeon animum gerebat ab omni affectu terreno liberum, et caelum tantum ac Christum cogitabat; sic faciant et senes. Talis omnino fuit David, qui Psalm. LXXII. dixit: *Quid mihi est in caelo et a te (id est, ter te Deum) quid volui in terra?* Redditque praemox rationem: *Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum,* q. d. ad quid mihi multa opes, regna, etc. quando ego jam senesco et deficio? Solus mihi Deus haereditas mea erit. Refert Stobaeus, serm. CXII. de quodam, qui cum jam senex et annos plusquam septuaginta natus thesaurum forte reperisset, sublato crure ipsum transcendit et praeterivit, ut qui non amplius usu sibi futurus esset. Discant hic Christiani. Sed Ciceronem etiam audimus. Hic in Catone majore ait: *Avaritia senilis, quid sibi velit, non intelligo; potest enim quidquam esse absurdius, quam quo minus vitae resiat, eo plus viatici quaerere?* Similiter etiam Seneca, de moribus: *Monstro similem, ait, avaritiam senem, quia via deficiente viaticum adauget.* Fuit Romae nostro tempore episcopus jam canus, qui (ut ibidem vir gravis mihi narravit) cum opulentiorum episcopatum sibi oblatum cum priore vellet commutare amicus quidam illius sic eum affatus est: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.* Quo verbo bonus senex videns se

admonitum inclinantis ad mortem senectutis, statim acquievit, et loco suo perstitit. Utinam et omnes senes haec verba secum perpenderent: fieret absque dubio, et ut ipsi finem imponerent suis desideriis et hujusmodi cupiditatibus. Hinc Orosius, libro III. capite ult. refert rem foedissimi spectaculi fuisse, cum duo reges Lysimachus annos natus octoginta quatuor et Seleucus annorum septuaginta septem de eripiendis alterutrum regnis concurrerunt, quippe cum orbem terrarum jam soli possiderent, nec tamen augustissimos vitae suae terminos cogitantes, angustiores regni sui terminos arbitrarentur.

III. Consilio et bono exemplo aliis prae luceant ac prosint communitati. Sic enim et Simeon expectabat consolationem Israel, quae erat redemptio ab hostibus tartareis per Messiam faciendam. Non ergo suam tantum, sed totius populi sui liberationem votis omnibus optabat, Deumque pro ejus acceleratione rogabat. Eodem modo senes promovere debent bonum communitatis, quomodo et apostolus qui dixit, I. Corinth. X. *Per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis ut salvi fiant.* Omnia reipublicae membra, quasi lapides esse debent unius aedificii, connexi et mutuo se retinentes: sed senes quasi columnae sint, quibus fornix et innumeri lapides innitantur, hoc est, bonum commune promovant, quod nisi fiat, brevi tota moles corruet, maxima enim pars quaerit tantum quae sua sunt. Item justitiae et veritati patrocinentur, tamquam columnae firmissimae. Unde optime quidam Lucianus nomine, apud Polycratem, lib. IV. capite IV. dixisse fertur, quod senes tamquam medici inter homines conversari debeant, nunc consilia praebendo, nunc dolentibus compatiendo. Neque parcant etiam, cum opus est, correptioni, siquidem medicorum etiam est scindere et urere.

In omnibus vero praebent se exemplum aliis in gravitate morum, et vitae inculpabilitate: quemadmodum S. Simeon, qui erat in civitate Jerusalem *justus et timoratus.* Decet hoc venerandam eorum canitiam, de qua S. Chrysostom. super epist. ad Heb. serm. VII. ait: « Canities tunc est venerabilis, quando eaegerit, quae canitiam decent: cum vero juveniliter senex conversatur, plus juvenibus ridiculus erit. » Intellexit hoc Lacon, ille senex, qui rogatus cur barbam gestaret tam prolixam: *Ut, inquit, canos meos intuens, nihil committam illis indignum.*

Monet item mortis propinquitas, quae merito coercere illos deberet, si quid unquam, ne modestiae limites transcenderent. Nam ut levioris est culpae, pueros in ludo insolescere, absente praepatore; sed jamjam ipso imminente et praefor-

bus existente, nullo ejus metu ab insolentia desistere, argumentum est contemptus et malitiæ: Na si juvenes insolescant et vitii se dedant, qui absentem credunt mortem et non nisi a longe vident, culpabiles quidem sunt: sed multo magis senes, qui certe certius norunt, mortem prope esse. Eo pertinent verba apostoli ad Phil. IV. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est.* Notam omnibus hominibus vult modestiam imprimis seniorum, quia si juniores videant contemni a senioribus mortis et judicii certam vicinitatem, multo magis ipsi contemnent longam eorumdem absentiam. Accedit quod quæ juvenes fieri a senibus vident, hæc pulchra et æqua ducunt. Caveant itaque senes ne pusillis scandala præbeant, ne loquantur turpia, vel laudent vitia et peccata coram juvenibus, nisi incidere velint in terribile illud judicium Domini: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, etc.*

IV. Deo et pietati liberius vacent, sicque libent Deo senectutem suam: prout apostolus, II. Timoth. IV. ait: *Ego enim jam delibor*, oratione et contemplatione spiritum pascendo, templa frequentando, etc. Discunt hoc a Simeone, qui *in spiritu venit in templum*, hoc est, Spiritus sancti impulsu, qui in ipso habitans, velut doctor ac ductor monebat, et instigabat eum ad quærendum in templo Deum. Inde etiam Græce dicitur *religiosus*. Hunc spiritum habere senes deberent, quia ut S. Cyprianus ait: « Plus omnibus religioni operam dare senibus convenit quos præsentis sæculi florida ætas transacta deseruit: » et rursus ibidem: « Quid superest, nisi dum hujus vitæ defectus appropinquat, nil aliud cogitare, quam quomodo futuræ aditus prosperitatis comprehendatur? Quis nescit servos domesticos, cum vident dominos a se alienatos, seque ab ipsis brevi dimittendos, mox circumspicere et alios sibi dominos quærere? Formicas aiunt cum senuerint alas acquirere, et in eminentem locum evolvere ac deinceps laboribus liberam degere vitam: *Vade ergo piger ad formicam*, et discite ultima vitæ tuæ scenam, quam potes agere optime. Ferunt etiam oves avidius comedere ad vesperam, cum nox imminet: ita etiam avidius pascere animas suas oratione et sacramentorum usu debent quo magis inclinatur ætas: *Venit enim nox quando nemo poterit operari*. S. Chrysostomus, in epist. ad Hebr. cap. IV., hom. VII. ait: *Metæ vicinus non languet, sed cursum intendit: sic quo seniores et cælo viciniore sumus, eo magis concitatius currere debemus.* Habent profecto senes cur Deo gratias agant, qui tantum temporis ei concessit ad ferendos bonorum operum fructus, neque repente eos sustulit e medio, sicut alios quam plurimos; sed tanto gravius inde judica-

buntur, si etiam ad extremam usque ad senectutem steriles fuerint. Si enim ficulnea illa, quadriennio fructum nullum fecit, jussa est excindi a Domino, quod terram frustra occuparet, Luc. XIII. quid fiet illis hominibus, qui ad senectam usque steriles fuerunt?

Habent etiam una ex parte senes meliorem commoditatem vacandi rebus divinis, quia a carne et mundo non adeo infestantur et perturbantur ut juvenes. Unde Senec. in ep. ait: *Satis multum temporis sparsimus. Incipiamus vasa in senectute colligere: in freto vivimus, moriamur in portu.* Etenim ut S. Chrys. in hom. cum presbyter esset designatus, ait: *Juventus pelago furenti similis est, immitibus undis ac malis ventis referto. Canities vero velut in tranquillo portu sovet eorum animos, qui consenuerunt.*

V. Præparent se ad mortem, ut brevi adventantem læti excipere queant. Cogitent illam Domini vocem ad se pertinere: *Videte regiones, quia albæ sunt ad messem*, Joan. IV. albi in capillis, incurvati quoque dorso; videant ut spicæ sint refertæ bonis operibus, quando venerit mors cum falce sua. Hujusmodi præparationem docuit eos Simeon, cum ante obitum suum Christum in ulnas accepit: item cum ante prævidit mortem suam, quam ab ea videretur et colligitur ex illis verbis: *Responsum accepit Simeon, non visurum se mortem, nisi videret Christum*; quod est dicere, visurum eum mortem, sed ubi prius Christum vidisset. Mortem prius vident, qui eam sæpe præcogitantes parati expectant: contra prius a morte videntur, qui absque prævia cogitatione et præparatione ab ea invaduntur. Itaque si verum est quod scribit Plinius, lib. VIII. cap. XXII. et vulgo creditur hominem a lupo prius visum, terrefieri, et voce ad præsens destitui: non item si prior lupum videat: similis est mors lupo. Quoniam igitur norunt senes hunc sibi lupum semper insidiari, curent præmeditari illam et quasi omnibus momentis occurruram expectare: sic enim nihil eis nocere poterit, sed erit potius *obstetrax*, (ut loquitur S. Gregorius Nyssenus, in orat. de mortuis) educens illos ad meliorem vitam. Dicant itaque cum philosopho illo Alexi apud Sto. ser. XV. ægre præ senio incedente: *Paulatim major*; vel potius cum apostolo, I. Corinth. XV. *Quotidie morior*, hoc est, ita vivo, quasi quotidie moriturus: ita me armis munio, quasi omni die cum hoste conflicturus. Simplex ille accingere solebat gladium contra mensem martium velut magis periculosum. Vos senes nulli mensi fidite, omnes omni tempore vobis insidiantur. Qui novit insidiari sibi hostem, nunquam sine armis incedit: pari modo senes spiritualiter se arment tantoque stu-

CONCIO VI.

DE PURITATE DOCTRINÆ CATHOLICÆ ET SECTARUM IMPURITATE.

I. Impuritas ethnicismi. — II. Impuritas legis Mahometanæ. — III. Impuritas morum Judaicorum. — IV. Impuritas dogmatum hæreticorum. — V. Puritas fidei catholicæ. — VI. Objectioni obviatur.

THEMA.

Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Cant. IV.

Purissimam fuisse beatam Virginem ante, in, et post partum dubitare non licet nobis. Etenim D. Thoma, opus. IV. teste: *Angelis*; S. Ephremo teste, in orat. de laude virginis: *Solis radio purior erat*, ita ut purificationis remedio nequaquam indigerit. De ea enim dictum Cant. IV. *Tota pulchra es, etc.* Simili ratione Ecclesia catholica et ipsa mater nostra ac Christi sponsa usquequaque purissima est, ut de ea quoque dictum sit illud: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*, quia nimirum legem habet purissimam, et bonis moribus ac rationi consonantissimam. Omnes vero aliæ sectæ, etsi quædam vera et bona continent, certis tamen maculis et turpitudinibus scatent, quas dogmata eorum approbant: quod si ostendero, simul etiam probavero nostram solam veram esse religionem. Quis enim sibi persuadeat Christum habere velle pro sponsa meretricem? *Tota pulchra es*, ait ad sponsam suam, *et macula non est in te.*

I. Nam imprimis ethnici etsi multa rationi congrua placita habuerunt: quam multa tamen etiam immania, turpia et crudelia! Romanis imprimis qui cæteris prudentiores et æquiores habebantur, pluralitatem uxorum et repudia permittebant, patri jus occidendi filium impune dabant, ex lege XII. tab. in antiquit. Rom. I. VIII. cap. VI. similiter domino servum. Spectacula gladiatorum populo edebant, qui se mutuis vulneribus confoderent ad populum recreandum: uti Trajanus qui semel decem millia, teste Dione, in Trajano produxit in theatrum. Lacedæmonii Lycurgo legislatore hospites finibus pelli jubebant, pueros et feminas prostituebant, et leges nuptiales impune violabant, apud Textorem, in offic. de legislatore: *Ægyptii furta permittebant*, teste eodem de legibus *Ægypt.* Carthaginienses et alii plurimi proprios filios jugulabant et immolabant: Massagetæ senes suos mactabant honoris gratia et devorabant: Scythæ mortuorum amantissimos vivos cum ipsis sepeliebant: Hyrcani et Bactri senes suos canibus objiciebant, ad hoc enutritis, inde diem fati prævenientes vivos se cremabant:

diosius, quanto periculosior conflictus illis imminet. Arma eorum scribit apostolus ad Tit. II. *Senes uti sobrii sint, pudici, prudentes*, (id est providentes), *sani in fide, dilectione, patientia.* Imprimis cavere sibi a crapula debent, uti etiam Dominus, Luc. XXI. *Ne forte superveniat in eos repentina dies illa tanquam laqueus.* Uti vero modicum lumen lampadis, largiore effusione olei facile extinguitur, sicut etiam senecta potu intemperantiore. Deinde, crebro inspiciant ephemerides conscientiæ suæ, et si quid ibi reperiant erroris, deleant. Noverint enim brevi se audituros: *Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare*, Luc. XVI. proinde si tunc fodere per afflictiones corporales nequeant, si mendicare per orationem ægre possint, faciant sibi amicos de mammona iniquitatis, exemplo prudentis villici, necnon Gersonis illius cancellarii Parisiensis, qui paulo ante obitum mille pauperes duxit ad summum templum B. Virginis sacrum, omnesque jussit post acceptam a se munificam eleemosynam in genua procidere atque hac communi voce aliquoties iterata divinam interpellare misericordiam: *Miserere Domine Deus Gersonis servi tui*, Chav. de prud. lib. IV. Denique, ante omnia Christum in ulnas suas accipiant cum S. Simeone priusquam hinc discedant. Id vero agent, cum non solum in eucharistia illum suscipiant, sed etiam cum amorem ac fiduciam suam omnem in illum convertent.

VI. Atque ita ad extremum fit ut placide et lætanter ex hac vita abeant, adeoque cum Simeone mortem non modo non metuant, sed potius cantillent: *Nunc dimittis servum tuum Domine*: et cum Davide: *Paratus sum et non sum turbatus.* Ad quid enim mortem timeant, quæ omnibus bonis Christianis finis est malorum, et initium bonorum! Fabulantur cyenum aliquando interrogatum a ciconia, quamobrem moriens caneret suavius, quam unquam alias in omni vita sua, cum cætera animalia adeo mortem horreant? Respondit cyenus: *Quia post mortem neque cibi quærendi cura amplius cruciabor, neque aucupum laqueos extimescam.* Sed leviusculum est hoc. Multo potior causa cantandi est homini seni, justo et timorato. Non enim finis tantum curarum, laborum et miserationum erit illi mors, sed melioris vitæ initium; imo Cicero, lib. I. de orat. ait, viros bonos et sapientes quasi cyenos cum laude et voluptate mori. Gaudeat itaque talis senex quisque ille, quia de certamine vocatur ad coronam, de furenti pelago ad portum, de exilio ad patriam, de terra tendit ad cælum.

Persæ incestis nuptiis matribus miscabantur, etc. ut est apud Textorem et alios, iidem mentiri licitum volebant; unde Darius Hystaspis rex Persarum dixit: *Ubi mentiri expedit, mendacium dicatur*: quin et legislatorum sapientissimi Plato et Lycurgus turpissima multo permittebant. Hic adulteria et flagitia contra naturam, etc. ille ut feminæ nudæ in palæstra exercebantur et post expletas libidines partum supprimerent, præterea tales fore beatos aiebat. Ecce quales leges, nimirum: *Evanuerunt in cogitationibus suis*, ait apostolus ad Roman. c. I. *et obscuratum est insipientes eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*: et paulo post: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis*.

II. Lex Mahometi impurissima est, et mores eorum plurimi bonis contrarii. Primo, multitudinem uxorum et libellum repudii permittit. Domini mancipiis suis, prout volunt, abutuntur ad libidinem, teste Joanne Leone, apud Bozium, lib. II. de sig. Ecclesie, cap. X. quin et ejusmodi lex lata ab Eubochare Mahometis successore, licere domino cuivis uti servis ad quosvis usus, apud eundem, lib. XII. capite XXVI. Item mulieres passim obvias, quas possunt, violant in mediis viis, ubi libidinis eos impetus arripuerit; et inde illi se divinissimos, mulieres vero compressæ, consecratas se existimant, apud eundem ib. Ad hæc solemne est eorum satrapis fratres omnes occidere, quo securiores ipsi imperent et diutius: hocque communi decreto ipsi sancitum, ut cæteris filiis interemptis unus regnet, ibidem. Celebrantur quidem jejuniis Turcæ et sobrietate; sed ea ab ortu tantum usque ad occasum durant, ab occasu vero insatiabili aviditate totas fere noctes (ubi se non cerni a sole sciunt) vorando et bibendo absumunt, apud eundem, l. XI. c. IV. idque liberum est cuique. Cum Epicuro item summam beatitudinem ponunt in amicitia hortorum, cibo, potu et luxu. O igitur præclaram gentem, quæ ea tantum, quæ difficilia videbantur, e legibus suis expunxit, et iter ad lasciviam omnem pandit! Si hæc est recta ad cælum via et vera religio, certe nos omnes insanemus, insaniet Scriptura, quæ viam istam damnat: cæcus erit Deus, qui se ita decipi patiatur. Quis enim sibi persuadeat, per jugi omnis excussionem, per omnis generis dissolutiones gloriam, honorem, beatitudinem acquiri posse? Annon hæc cum ratione et politia pugnant e diametro: e contra eum, qui hic omnia diversa sustinet, nihil sperare præmii debere, quis hæc credat? Christus dicit: *Tollite jugum meum super vos*, Matth. XI. isti con-

tra: *Excute omne jugum, et invenietis requiem animabus vestris*.

III. Judæorum etiam mores olim non carebant maculis, et hoc tempore perversissimi sunt. Erat etiam apud illos polygamia, libellus repudii, ex quibus omnis generis incommoditates oriebantur, quæ Christo teste ad duritiem cordis eorum fuere tolerata. Similiter et usura respectu externorum seu gentilium; permissive tantum, ex Deut. XXIII. ut D. Thom. II. II. q. LXXVIII. a. I. et alii. Deinde, paulatim pejora introducebant jura, quibus inimicos odisse, amicos tantum diligere jubebant: quibus actus interni adulterii et homicidii licitos putabant; quibus perjuria tantum vetabant, non juramenta, quemadmodum exprobrat eis Christus, Matth. V. Modernorum vero Judæorum mores perversos, quibus omnes pene impune dediti sunt, quis enumeret? Annon illi usuras una cum donariis a Christianis exigunt quasi rem licitissimam? Annon passim merces spurias pro bonis, veteres pro novis obrudunt quanta possunt unanimitate? Annon furtis et prostibulis promptum præbent hospitium? Annon monetas communi suffragio et auxilio adulterant et præscindunt? Annon homines alios etiam Christianos ita immundos reputant, ut nec cibos ab eis coctos gustent, nec cultris eorum ad scindendum, aut poculis ad bibendum nisi ter aut quater lota sint, utantur? Annon Christianos forte ad se adventantes ita salutant: Seth wilkom, Seth, pro diabolo, quem significat usurpando? Testatur hæc Maiol. tit. III. canic. dier. col. I. An hæc omnia bonis moribus concordent, judicare quis nesciat? Annon in perniciem totius humanæ societatis, legum omnium tam civilium, quam ecclesiasticarum tendunt?

IV. Hæreticorum dogmata (de modernis loquimur, nam antiquæ suo pte interitu convictæ sunt) quam bonis moribus et rationi convenient, patet. Lutherus enim in lib. de vita conjug. conjugum fidem effringit et dat licentiam vocandi ancillam, si nolit uxor: item uni plures simul uxores habendi, in proposit. de bigam. editis anno 1528. proposit. LXV. LXVI. LXVII. item non minus necessarium esse vero carnis negotium, ac spure, excreare, mingere, in lib. de vita conjug. item licere occulte misceri uxori cum leviro, etiam vivente marito, ex quo filios non habeat, ut e leviro suscipiat: atque ita maritum decipere: idem vota regularium effregit et irrita ac solvenda esse voluit, lib. de votis monast. item non licere virginitatem servare: homines omnes pares ob christianam libertatem, et neminem alteri subjectum esse. Opera bona rejiciunt, et non modo non necessaria ad salutem esse asserunt, verum etiam

noxia et prohibita volunt, Luth. de lib. arbitrio et de captivitate. Babyl. Calvin. instit. libro III. capite XVII. item non esse necessariam remissionem peccatorum: Christianum etiam si velit, salutem perdere non posse, quantumcumque peccator sit, dummodo credat se in via salutis esse: vitare peccata obesse Christiano: quærendam potius bonorum quam malorum operum remissionem: ac quo liberior in cælum aditus sit, oportere in scelerum et flagitiorum sordibus volutari, etc. Hinc jejuniarum, festorum sanctorum, honorumque operum abrogatio: denique, eo usque demencia pervenerunt, ut dicerent Deum malorum omnium auctorem, et proditionem Judæ æque opus Dei esse ac vocationem Pauli: Deum solum esse vere peccatorem, etc. Quid dicemus ad hæc? Annon S. Hilarius si adesset, in verba illa sibi consuetæ prorumperet: *O miseræ aures meas, quæ tam funestæ vocis sonum audierunt!* Quid S. Polycarpus vir ille apostolicus? Annon pro more suo diceret: *O bone Deus, in quæ me tempora reservasti, ut hæc audirem!* Clamat Sapiens, c. XIV. *Odio sunt Deo impius et impietas ejus: clamat Sanctus Paulus ad Rom. IX. Numquid iniquitas apud Deum? Absit: alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?* Nam quomodo puniet Deus scelera, quæ perpetrare jussit, imo ipsemet perpetravit, secundum istos? Clamat Ecclesiasticus, cap. XV. *Non dicas. Ille (Deus) me implanavit*, id est, tortuosus, iniquum et malum fecit, quia, ut paulo post subdit: *Nemini mandavit impie agere.* Quis non videt per hæc dogmata aperiri januam omnibus sceleribus? Si enim bona opera nihil prosunt, imo obsunt: si fidem Deo datam frangere licet: si remissio peccatorum nulla est: si salutem perdere nemo potest fidem habens, quantumcumque peccator: si peccata vitari nequeunt: si Deus peccatorum auctor, instigator et patrator est, quid superest, nisi ut mundus totus flagitiis impleatur? Ut justitia, ut politica, ut societates juraque omnia humana et divina sursum deorsum vertantur? Hæc ipsi jam præ oculis vident inter se fieri. Clamant castitatem esse impossibilem et fræna fornicationibus laxant: homines omnes pares esse ob christianam libertatem: hominem liberi arbitrii non esse, sed a Deo instigari et cogi ad peccandum: quid igitur superest, nisi ut fornicationes et adulteria sequantur, obedientia et justitia corruat, et omnes temere nullo metu effusissime peccent?

V. Jam vero catholicam religionem quoad omnia dogmata purissimam esse et rationi ac bonis moribus convenientissimam facile quis cernere potest. Legantur Scripturæ divinæ, quas incorruptas semper habuit habetque, legantur cano-

nes, Concilia, patres, regulæ ordinum, constitutiones episcoporum, vitæ ss. patrum: et proferat quis vel momentum crationi, legi, aut bonis moribus contrarium. Videbit sane Deum in omnibus honorificari, ut finem ultimum, et gloriam ejus quæri: vinculum charitatis solidari inter fideles, justitiam servari, suum cuique tribui, nemini injuriam fieri, misericordiam inculcari, consilia vitæ perfectissimæ suaderi, mandata injungi, Dei cultum et orationem urgeri, virtutes laudari, vitia reprehendi. Cujus rei testes sunt tot viri sancti in omnibus statibus, regulis, institutis, qui mediante hac doctrina ad summum apicem virtutum et sanctitatem pervenerunt et perveniunt in hodiernum; ut a nemine culpari possint, et dicere securo ac cum triumpho palam possimus de nostra Ecclesia: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*.

Sunt quidem in nostra doctrina multa difficilia mysteria, quæ humanus intellectus assequi non potest, sed ea tamen talia sunt omnia, quæ cum naturali ratione minime pugnant, multo minus contradictionem involvunt: ideoque credenda voluit Dominus, non scienda. Quot mirabilia cernimus ante oculos, quæ intellectu comprehendere minime possumus? Nosti qualiter oculus tuus imagines rerum accipiat? Quomodo phantasia tradat? Quomodo per hanc intellectui? Quomodo memoria? Quomodo ibi asserentur species? Quomodo pereant? Quomodo somnietur et unde? Quod si hæc tam familiaria non capimus, quid mirum si supernaturalia non penetramus?

Sunt præterea, fatemur et hoc, multa inter catholicos vitia et flagitia omnis generis; sicut et in aliis sectis. Sed ea nec approbantur sive per eorum doctrinam, sive per superiorum tacitam vel expressam auctoritatem publicam. Annon omnia taxantur in libris, concionibus, apud magistratum, a parentibus? etc. annon ipsi ea nos perpetuo reprehendimus et corrigimus ac censuris aliisque pœnis mulctamus? Unde igitur probabit aliquis, ea vitia fluere ex doctrina nostra? Annon e diametro cum doctrina nostra pugnant? Annon Ecclesia ea deplorat semper? Si ergo hæreticis mali nostri mores displicent, cur non placent præcepta et placita, quæ eos prohibent et castigant? Aliud est si dicas: Magistratus in his nundinis injustas ulnas et mensuras mercatoribus distribuit utendas: et aliud: Mercatores justa sibi data ulna, injuste et deceptorie usi sunt. Hoc non vituperat magistratum et ulnam; vituperat tantum mercatores aliquos, qui fraude usi sunt. Sed illud vituperat magistratum et ulnam. Similiter si canones et doctrina nostra mala vel turpia essent, haberent, quod nobis objice-